

RECENTIO UNIVERSI CLERI PIOECESSIS QUINQUE-ECCLESIENSIS,

DISTINCTE A TEMPORE AMOTAE CUM EXITU SE-
CULI 17-MI TIRANNIDIS TURCICAE, RESTITUTAE-
QUE IN HIS PARTIBUS TRANQUILLITATIS, USQUE
AD PRAESENS TEMPUS, COMMENTARIIS HISTORI-
CIS ILLUSTRATA,

PER

Josephum Briüsztle,

PAROCHUM OLASZENSEM IN DIOECESI QUINQUEECCLESIENSI.

Tomus III.



QUINQUE-ECCLESIIS,

TYPIS ANDREAE MADARÁSZ.

1879.

CVI.

Parochia Mohács I.

ad S. Michaelm.

(Comit. Baranya.)

6612.

Hősvértől pirosult gyásztér! sóhajtva köszöntlek,
Nemzeti nagylétünk nagy temetője Mohács!

Kisfaludy K.

Planctum magnum olim plangens Rex David
super Saul, et super Jonathan filium ejus, in amari-
tudine cordis sui in haec prorupit verba: „Montes
Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, neque
sint agri primitiarum, quia ibi abjectus est clypeus
fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.“
Similibus questibus potest chara patria nostra eju-
lare super campos Mohácsenses, in quibus, aequa ac
in montibus Gelboe abjectus est clypeus fortium,
abjectus est clypeus Regis, quasi non esset unctus
oleo. Ibi obscuratum est aurum, mutatus est color
optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite
omnium platearum; ibi cecidit flos nationis lectissi-
mus, ibi occisi filii Sion inclyti, ibi paratum est mil-

lenis patriae filii funestissimum bustum. Sederunt autem in terra, et conticuere senes, consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis. Nihilominus campus iste lugubris nequaquam diris devotus exstitit execrationibus adinstar montium Gelboe, imo potius pretioso filiorum patriae sanguine tinctus, saginatus, et quasi consecratus, fecundissimus evasit ac uberrimus; videturque impleta poëtae precatio, dicentis :

És te virulj, gyásztér! a héke malasztos ölében:
Nemzeti nagylétünk hajdani sirja Mohács!

Quam execrabile die 29. August. 1526. in campis Mohácsensibus patriae nostrae inflictum sit vulnus, quilibet sub coelo hoc natus compertum tenet: fusiorem itaque calamitosi illius praelii delineationem profanis relinquimus historiae scriptoribus; ac unice isthic enumerare contendimus egregios hungaricae Sion filios, dignissimos Hierarchiae nostrae viros, qui pro patria fatum ibidem excipere non dubitarunt, hi fuerunt: *Ladislaus Zalkán*, archiepiscopus Strigoniensis; *Paulus Tomory*, archiepiscopus Colocensis; *Philippus More*, Quinqueecclesiensis; *Franciscus Pérenyi*, Magno-Váradinensis; *Blasius Paksy*, Jaurinensis; *Franciscus Csaholy*, Csanádensis; *Georgius Paliay*, Bosnensis, episcopi.

Olim in loco hodierni Mohács coloniam Romanam nomine *Altinum* exstisset, argumentis historiographorum evincitur.¹⁾ Sed etiam sub Hungaris locum istum Danubio adjacentem, in amoena fertilissimaque plaga constitutum, remotioribus jam seculis non ultimae fuisse celebritatis, paginae historiae suf-

¹⁾ Csevapovich. Recens. obser. Min. p. 400.

ficienter depraedicant. De isto prout etiam de aliis duobus locis vicinis, nempe oppido *Csele* (a Mohácsino versus aquilonem,) et *Laymer*, versus occasum meridionalem olim situm habentibus, offerunt se nobis monumenta literaria, quae isthic intacta relinqu nequeunt, sed debito ordine reproducenda, vel saltem commemoranda veniunt.

1) De Mohács:

a) 1323, Conventus Pécsváradensis de Mohácsensibus, qui in villa *Csele* monialium de Insula B. V. vulnerationes ac spolia commiserant, citatis ad regem Carolum relationem praestat; in qua praeter reliqua haec occurrunt: . . . inquirendo resciuisset, quod feria secunda proxima post octauas Paschae Domini, Egidius frater carnalis Petri, Temok dicti, officialis praefati Domini Episcopi Quinqueecclesiensis, in *Mohács* constituti, Gregorius filius Chuda, Nicolaus filius Dionisii, et Andreas filius Kescecū, cum populis totius villae *Mohach* super passionem praedictarum Dominarum Cheley vocatam venientes, vnum hominem de eadem villa *Cheley*, cum ictu sagittae, vulnerassent, Seberek Procuratorem piscinarum Dominarum praedictarum in ipsa possessione earumdem enormiter verberassent, et suis vestibus spoliassent; nouem piscinas memoratarum Dominarum occupassent, et indebite occupatas detinerent, de quarum novem piscinarum vsus proventuum perceptione post factam legitimam prohibitionem per hominem Serenitatis Vestrae praesente fratre nostro homines prae-nominati de *Mohach* noluissent aliquatenus prohiberi. Datum etc.²⁾

²⁾ Fejér-cod. VIII. 2. p. 494.

b) 1374. Magnifico Baroni et honesto, domino Emerico regni Hungarie palatino, et Judici Cumano-rum, Conuentus monastery waradiensis oracionum suffragia, deuotarum, literas vestre magnitudinis receperimus reuerenter, et Juxta, earundem continen-ciam, vnam Benedicto filio Symonis, homine ve-stro, vnum ex nobis fratrem videlicet Thomam sacer-dotem protestimonio transmisimus fide dignum ad sciendum et inquirendum infrascripta. Qui postmo-dum ad nos reuersi, nobis concorditer, retulerunt, quod sicut prefatus homo vester presente dicto nostro testimonio feria tercia proxima ante festum beatorum Cosme et damiani martyrum proxime preteritum, a nobilibus conprouincialibus et ab alys cuiusuis, status et condicionis hominibus, a quibus decuit scire potuisset de infrascriptis diligenter inquirendo et inues-tigando talem sciuisse veritatem, quod Jacobus niger de *Myslen* et Nicolaus officiales magistri Johannis dicti Treutul de *Mohach* vnam petro rufo, Nicolao dicto fodor, villico et Mychaele filio eiusdem de arad, (l. Narad) et Nalys (sic) vniuersis Jobagho-nibus, de *Mohach*, de *Narad* de *lancho* (Lancsuk) de *Kulked*, et de *Hymushaz* Episcopi ecclesie Quinque-ecclesiensis, feria quinta proxima ante festum Natiui-tatis beati Johannis baptiste proxime preteritum, ad possessiones magistri ladislai filii Tuteus *laymer*, *Moysa* (Mais) et *locha* (Lotha) vocatas veniendo, fe-neta ipsius magistri ladislai defalcari et asportari, ac quidecim (sic) falcastra ibidem afferri fecissent, eo eciā non contenti, die dominico proximo post festum beatorum petri et pauli apostolorum similiter proxime preteritum, ydem Jacobus niger, et Nicolaus vnam praefatis famulis villico et Jobagionibus, ad dictam

possessionem ipsius magistri ladislai Moysa vocatam
veniendo fruges Jobagionum eiusdem magistri ladislai
ad quadraginta currus sufficientes potencialiter
asportari fecissent nec non quindecim Jobagiones
ipsius magistri ladislai de predictis villis *laymer* et
Moysa crudeliter fecissent verberari omni sine causa,
datum feria quinta etc.³⁾

2) De Csele :

a) 1248. Farcasius, Quinqueeclesiensis Praepositus, totumque eiusdem loci Capitulum: Omnibus praesens scriptum cernentibus, salutem in Domino, Gregorius, Claudio, Antonius, Ladislaus, et Petrus, fratres, filii Gregorii, de genere Kalani, nostri constituti in praesentia, vna cum Domina Dominica, condam Sorore Jurkonis, filii Jurkonis, cognata eorumdem, et Christophoro ipsius marito, confessi sunt: quod ipse quandam partem terrae, quae *Cheley* nominatur, sitae iuxta Danubium, in Comitatu de Barana, ad ipsos de predicto Jurkone iure haereditario deuolutae, de ipsorum Christophori et dominicae consensu, Nanae Comiti, ibidem praesenti vendiderunt quatuor marcis de argento, et tandem pecuniam nostra in praesentia receperunt. Quod vt ratum et firmum permaneat, ad petitionem praedictorum Christophori et Dominicae, Gregorii, Antonii, Ladislai, et Petri similiter, litteras praesentes, nostri appositione sigilli roboratas, ipsi Nanae Comiti Confratri, dignum duximus in supra dictae emtionis testimonium et munimen concedendas. Anno etc. Jurkone Cantore, Theodoro Custode, Jacobo Decano, ceterisque

³⁾ Zichy-cod. III. 438.

quam pluribus ibidem existentibus. Datum per manus Petri Magistri, Lectoris Quinque-Ecclesiensis.⁴⁾

b) 1274. Conventus Pécsváradensis testatur de villis *Csele* et *Kapsan*, in comitatu Baranya existentibus, monasterio de Insula B M. V. legatis; ubi legitur: quod Nana Comes cum uxore sua, filia Comitis Moyus, quondam Comitis Palatini, pro transitorio, seu caduco herede successorem sibi in bonis suis constituisset gloriosam Virginem, Dei et hominis Genitricem; . . . et praedictae ecclesiae B. Virginis de insula leporum, in cottu Barania *Chelei* cum omnibus pertinentiis suis, excepta parte monasterii de Zeer, in qua locus esset suae curiae, item juxta idem praedium villam *Kapsan* totaliter contulisset perpetuo possidenda etc.⁵⁾

c) 1331. Nos Conventus Monasterii Saxardensis damus pro memoria. Quod cum Venerabilis in Christo Pater Dominus Ladislaus Dei gratia Episcopus Quinqueecclesiensis juxta continentiam Literarum Magnifici Viri Comitis Pauli Judicis Curiae Domini nostri Regis contra Religiosas Dominas Sanctimoniales de Insula Leporum in octavis festi Nativitatis beati Joannis Baptistae Testium productionem de infrascriptis quanto evidentius posset, facere coram nobis debuisse, ipso termino, scilicet octavo festi praedicti adveniente Magister Joannes Canonicus Ecclesiae Quinqueecclesiensis Procurator ipsius Domini Episcopi vice et nomine ejusdem Domini Episcopi Domini sui, praesente fratre Ladislae Procuratore Earundem Dominarum et officiale adductis

⁴⁾ Fejér-cod. IV. 2. p. 24. et seq.

⁵⁾ Idem VII. 2. p. 32.

circa ducentis hominibus, ex quibus quorundam nomina subsequuntur, de quibus primo et principaliter Michael filius Petk de Zyger per haec verba, quod populi dictarum Sanctimonialium de villa *Cheley* vocata ex mandato dictarum Dominarum stagna seu piscaturas dicti Domini Episcopi in fluvio Danubii habitas ad *Mohach* pertinentes a tertia revolutione annuali incipiens usque modo piscari fecissent, qui hoc damnum triginta marcarum ipsi Domino Episcopo intulissent. etc.^o) — Inter multos testes leguntur: Stephanus filius Petri de *Kolozno*; Stephanus filius Nicolai de *Moroch* (Márok;) Ladislaus filius Georgii *Manuk*; Vyd de *Moyus* (Mais;) Joannes filius Thomae de *Gure* (Györe;) Thomas filius Ipoliti de *Nemety*; Mychael de *Myslen*.

d) 1478. Nos Comes Stephanus de Bathor Jūdex Curiae Serenissimi Principis Domini Mathiae Dei gratia Regis Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. etc. memoriae commendamus, quod cum Nos ad instantiam et legitimā petitionem Religiosarum Dominarum Sanctimonialium de Insula Leporum, una cum Ambrosio Kornys de Janosd Regio, ac Petro de Szentbenedek Palatinali Hominibus nostrum Hominem, videlicet Anthonium de Vjlak ad infrascriptam Inquisitionem faciendam duxissemus destinandum. Qui tandem exinde ad Nos reversi nobis uniformiter retulerunt eo modo. Quomodo ipsi feria secunda proxima post Dominicam *Quasi modo geniti* in praesenti Conventione generali Praetatorum et Baronum, Nobiliumque electorum de speciali Regio edicto celebrata in hac Civitate Budensi

^o) Koller II. 354.

pariter procedendo ab omnibus Nobilibus cuiusvis status et conditionis Comitatus de Baranya Hominibus Conventionem ad eandem confluentibus talem de subscriptis scivissent certitudinis veritatem. Quomodo circa festum beati Valentini Martyris noviter praeteritum Venerabiles et honorabiles Gregorius Cathedralis, Mattheus de Baranya, Emericus Dombay Tholnensis Archidiaconi, Demetrius Praepositus Ecclesiae Collegiatae Sancti Johannis de Castro, Blasius decretorum Doctor ac Petrus de Devether Canonici Ecclesiae Quinqueecclesiensis, item Michael Majos, Paulus Barothy Capellani, et Lucas literatus Provisor Curiae Castri Quinqueeccl. Anthonius Komlósy, Comes Laurentius Kakas Provisor Curiae oppidi *Mohách*, Matheus Plebanus, Demetrius Ispan, Nicolaus Kerekes, Georgius Szabó, Nicolaus Kalmár, Paulus Bozoky, Petrus Csáky, Nicolaus Chanko, Georgius Konthos, Michael Fazokas, Benedictus Chosa, Michael Thekes, Georgius Gathaj, Mathias Chukás, Joannes Thekes. Condam Provisor de dicta *Mohách*, Benedictus Szabó, Nicolaus Thomester, Vrbanus Cháky, Clemens Cháky de Lanthok, Gregorius Toth, Georgius Gathay de Lanthok, Valentinus Zakas de Hymesháza, Jacobus Literatus, Anthonius decimatores Castelli Danchkees, Anthonius Kapornay, Michael Horvath, in praefata Quinqueecclesien. commoran. et Egregius Joannes Zuubor de Fewldvar (h. Sátoristye.) Familiar. et Jobagiones Reverendi Sigismundi Electi et confirmati Ecclesiae Quinqueecclesiensis praedictae ex commissione, et voluntate ejusdem Domini ipsorum ad oppidum dictarum Religiosarum Dominarum Sanctimonialium *Chele* vocatum in Comitatu Baranya existen. nec non nonnullos Jobagiones dictarum Do-

minarum Sanctimonialium ibidem commoran. dirissimis verberum et verborum plagis affecissent, semivivos relinquendo, et nisi Dei adjutorio de manibus eorundem eliberari potuissent, omnes ipsos Jobagiones interfecissent potentia ipsorum mediante in praejudicium et damnum dictarum Dominarum valde magnum. Datum Budae etc.^{a)})

3) De Lajmér.

Plurima se nobis offerunt de loco *Lajmér* sonantia documenta, in codice diplomatico Comitum Zichy, novissime vulgato contenta, quorum tenorem hisce breviter reddimus:

Anno 1278. Paulus praepositus et capitulum Quinqueecclesiense testantur: quod Laurentius et Thomas, filii Laurentii, filii Sampsonis, et alii nobiles de villa *Laymér*, terras suas hereditarias, item mediatem ecclesiae Sanctae Crucis, scilicet jus patronatus in dimidiate ejusdem ecclesiae in dicta villa Laymér, Comiti Eliae Kemény (Kemyn,) et filiis ejusdem Gabriano, Ugrino, Bartholomaeo, Dominico et Jacobo pro undecim marcis boni argenti, prius numeratis et perceptis vendidissent et tradidissent.^{a)})

1317. Conventus Pécsváradensis significat Carolo I. regi Hung. quod Ladislaum episcopum Quinqueecclesiensem et plures nobiles de villa *Laymeer* contra magistrum Emericum in praesentiam regis citaverit.^{b)})

1322. Egidius praepositus et capitulum Quinqueecclesiense significant: quod Joannes filius Joannis de *Laymér*, terram suam in dicta villa *Laymér*

^{a)}) Koller IV. 413. et seq.

^{a)} Zichy-cod. I. num. 40. — ^{b)} ibid. 183. —

habitam in duobus locis, scilicet juxta terram monasterii de Cykador, et etiam juxta terram monasterii de Scybigiun (Zebegény = Szebény,) ac juxta terram episcopatus Quinqueecclesiensis Kulked (Kölked) vocatam, pro viginti marcis magistro Egedio filio Chaata de Beechey vendiderit.^{c)}

1331. Conventus Pécsváradensis testatur: quod comes Bitó (Bytow) filius Philippi, filii Embil de Ormánköz, quamdam suam terram arabilem, viginti et sex jugera terrae in se continentem, et unam sessionem cum loco horrei, in terra *Laymér* de cottu Baranya, magistro Egidio de Bechey vendiderit et tradiderit.^{d)}

1334. Comes Paulus judex curiae regiae comittit conventui Pécsváradensi: ut hominem suum pro testimonio mittat ad possessionem *Laymér*, qui cum homine regio ipsam possessionem reambulent cum omnibus suis terris, et ecclesia lapidea sub honore sanctae Crucis constructa, item una silva ab aquilone habita, haecve inter filios Emerici Bechey, Tötős et Veszős dictos, item inter Jacobum filium Gyulae (Jule), partes duas ab invicem sequestrando dividant.^{e)}

Eodem anno idem comes Paulus pro magistris Tötős et Veszős, filiis Emerici Bechey, contra Jacobum filium Gyulae, super possessionaria divisione *Laymér*, in octavis Paschae, praesente testimonio conventus Waradinensis, facienda, ordinationes facit, et ad octavum diem octavarum Paschae sibi reportari mandat.^{f)}

1335. Comes Paulus judex curiae regiae testatur: quod Tötős et Veszős, filii quondam Emerici Bechey, cum Jacobo filio Gyulae de *Laymér*, ad eam

c) ib. 241. — d) ib. 379. — e) ib. 428. — f) ib. 435.

pacis et concordiae unitatem devenerint: quod praedicti magistri Tótös et Veszős 20. jugera terrae de portione sua in possessione Laymer existenti, scilicet 18. jugera juxta silvam ipsius Jacobi, circa metas ejusdem ab occidente existentia, ad augmentationem dictae silvae, et duo jugera a parte ipsius villae *Laymér* adjacentia, eidem Jacobo deditissent et tradidissent.^{g)} Eodem anno supra memoratus judex curiae de pacifica hac conventione, per longam seriem metas et limites terrarum enumerando, testimonium exarat.^{h)}

Anno 1344. Ludovicus I. R. Hung. postquam Jacobus filius Gyulae de *Laymér* sine herede decessisset, quandam possessionariam portionem in dicta villa *Laymér* magistro Tótös de Bechey, pro multimodis fidelitatum obsequiis, in aliqualem saltem recompensationem, in quantum ad collationem regiam dignoscitur pertinere, jure perpetuo contulit et donavit.ⁱ⁾

1345. Capitulum Quinqueecclesiense palam facit: quod nobilis domina reicta Michaelis, filia videlicet Gyulae, Iluna vocata, confessa sit oraculo vivae vocis: quod Tótös, magister janitorum regis, super quarta sua puellari de portione sua possessionaria patris sui, in possessione sua *Laymér* habita, sibi de jure provenienti, solutis sibi octo marcis denariorum banalium, marcam quamlibet cum sex pensis computando, omnimodam sibi impendisset satisfactionem.^{k)}

Ultimum documentum pleno tenore exhibemus:

1345. Nos Comes Paulus Judex Curie Serenissimi et magnifici Principis domini Lodouici dei gratia Incliti Regis Hungarie, Memorie commendantes,

g) ib. 441. — h) ib. 446. — i) tom. II. num. 81. — k) ibid. 103.

tenore praesencium signifacamus quibus expedit universis; Quod cum **Magnificus** vir Theuteus magister Janitorum predicti domini nostri Regis nobilem dominam Relictam Mychaelis sororem videlicet carnalem Jacobi fily Gyula quondam de *Laymyr* hominis, vt asseritur heredum solacio carentis legitime citationis modum obseruando mediantibus litteris citatorys Honorabilis Capituli ecclesie Quinqueecclesiensis, ad Octauas festi beati Regis Stephani ratione prioritatis termini ad Octauas festiuitatis Omnim sanctorum, nunc similiter proxime preteritas prorogatiue deuenisset, Tandem ipsis Octauis festiuitatis Omnim sanctorum occurribus, Johannes litteratus filius Cosme pro memorato Theuteus magistro Janitorum Regalium cum procuratorys litteris nostris, iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum, ad nostram accedens presenciam, contra eandem nobilem dominam Relictam Mychaelis sororem carnalem, quondam Jacobi fily Gyula de *Laymir* in figura nostri Judicy proposuerat eomodo, quod dum ipse magister Theuteus, quandam possessionariam porcionem predicti Jacobi fily Gyula de *Laymer* in eadem *Laymer* in Comitatu de Baranya habita existentem, nomine possessionarie porcionis hominis sine herede decedentis, per dictum dominum lodouicum Regem, pro suis fidelibus servicys perpetuo sibi collatam, per hominem ejusdem domini Regis presente memorati Capituli ecclesie Quinqueecclesiensis testimonio reambulari, et coram vicinis et commetaneis eiusdem ab aliorum possessionibus metis separatam et distinctam sibi statui facere voluisse predicta nobilis domina Relicta Mychaelis, ipsos hominem Regium et testimonium sepefati Capituli ecclesie Quinqueeccle-

siensis, a statucione predicte possessionarie porcionis sibi facienda prohibuisset, et hoc exhibicionibus antedicti Capituli Quinqueecclesiensis sic fuisse conprobauit in instanti, Cum exhibicionis ratione ipsum magistrum Theteus informari postularat, per nobilem dominam Relictam Mychaelis prenotatam, Quo auditio ipsa nobilis domina Relicta Mychaelis personaliter exsurgens, dictam possessionariam porcionem in possessione *Laymer* prenotata habitam, memorati Jacobi filii Gyula fratri sui vterini hereditariam fuisse, et sicut ipsum Jacobum fratrem suum sic, et ipsam Jure premisso contigisse, et contingere debere, seque super hoc efficacia Instrumenta habere, et intermino, per nos sibi dando exhibere posse allegarat exaduerso, Vnde, nos commiseramus, quod memorata domina Relicta Mychaelis preallegata sua Instrumenta In Octauis festi Purificationis beate virginis exhibere teneretur coram nobis, quibusquidem Octauis festi Purificacionis beate virginis aduenientibus, predicta nobilis domina Relicta Mychaelis, ad exhibendum Instrumenta sua predicta, non venit, neque misit, et sic se in Judicio permisit innodari, memorato magistro Theuteus decem et septem diebus continuis legitime coram nobis expectante, vnde quia idem magister Theuteus in dominium predicte porcionis possessione *Laymir* habite, ad huc legitime voluit introire, Ideo nos predicto honorabili Capitulo ecclesie Quinqueecclesiensis, amicis nostris litteratorie scribentes, eorum amiciciam postularamus diligenter, quatenus, ipsorum mitterent hominem, protestimonio fideignum, quo presente Sebastianus de Balath, vel Dominicus de Bathay (Báta,) aut Deseu de Baya (Bója,) seu Stephanus de Bereminy (Berement,) alys

absentibus homo domini Regis, ad faciem predicte possessionarie porcionis in predicta possessione *Laymir* existentis, vicinis et commetaneis eiusdem vniuersis, et specialiter predicta nobili domina Relicta Mychaelis legitime ibi conuocatis, accederet, et eandem porcionem possessionariam, exhibitis, inibi literis iamdicti Capituli Quinqueecclesiensis reambulatorys, iuxta prioris reambulacionis cursum, per suas veras metas, et antiquas reambularet, et sic nouis metis, iuxta veteres, vbi necesse fieret, erectis reambulatam, ab aliorumque porcionibus possessionarys distinctam, et separatam statueret, ipsi magistro Theuteus, eo Jure quo sibi ex donacione Regia pertinere dinossceretur statueret perpetuo possidendam, si non fieret contradictum, contradictores vero, si qui fierent, contra eundem magistrum Theuteus ad Regiam citaret presenciam, rationem contradictionis eorum reddituros, ad terminum competentem, Et post hec seriem ipsius possessionarie statucionis, cum cursibus metarum, nominibusque contradictorum, et citatorum, et tocios facti processu, Regie fideliter perscriberet majestati, Capitulum ecclesie Quinqueecclesiensis in eorum litteris, per ipsum magistrum Theuteus, in presentibus Octauis festi passce domini nobis exhibitis Regie rescribebant excellencie isto modo, quod cum dictum Capitulum Quinqueecclesiense juxta continenciam litterarum nostrarum formam nostri Judicy continentium, vna cum Sebastiano de Balath, homine ipsius domini Regis, in eisdem litteris nostris expresso, magistrum Thomam succentorem ecclesie eorum prenatae, socium et canonicum ipsorum, ad infra scripta exequenda, pro testiomonio misissent, ydem postmodum ad eos reuersi, eis concorditer retulissent,

quod ipsi feria quarta proxima post dominicam Letare nunc preterita. accessissent ad faciem possessionarie possessionis, quondam Jacobi filij Gyule de *Laymir*, hominis sine herede decedentis, in eadem *Laymir* habite in Comitatu de Barania existentis, per predictum dominum nostrum Regem, Theuteus magistro Janitorum suorum date, et collate sicut in eisdem litteris nostris contineretur, ac eandem vicinis, et commetaneis suis vniuersis legitime conuocatis, presente Nobili domina Relicta Mychaelis, per suas nouas metas, et antiquas reambulassent, reambulatamque, et ab aliorum porcionibus possessionarys distinctam, et separatam predicto magistro Theuteus, iuxta nostram Judiciariam sentenciam, eo Jure, quo ad ipsum dinosceretur pertinere, statuissent perpetuo possidendam, Nullo penitus contradictore existente, vnde quia predicta possessionaria porcio prefati Jacobi filij Gyula, hominis ut asseritur heredum solacio orbati, in dicta possessione *Laymer* vocata, in predicto Comitatu de Barania existenti, habita, presentibus predicta nobili domina vicinisque, et commetaneis eiusdem vniuersis sub antiquis suis veris metis, et terminorum cursibus, per predictum Sebastianum de Balath hominem Regie maiestatis, presente, predicto magistro Thoma succentore, et testimonio dicti Capituli ecclesie Quinqueecclesiensis contradictione quorumlibet non obstante, ipsi magistro Theuteus perpetuo possidenda statuta fuisse extenore predictarum litterarum dicti Capituli ecclesie Quinqueecclesiensis reperiebatur. Ideo nos, vñacum Prelatis Baronibus, et nobilibus Regni nobiscum in sede nostra Judiciaria considentibus, memoratam possessionariam porcionem predicti Jacobi filij Gyula de

Laymir, hominis, vt dicitur sine herede decedentis, in eadem posessione *Laymer* in dicto Comitatu de Barania existenti, adiacentem, cum omni plenitudine sui Juris et vtilitatum integratibus, in superficie eiusdem habitis, et existentibus, sub eisdem prioribus suis veris metis, et antiquis, quibus eadem, per priores suos possessores, vsque modo habita extitit, et possessa, ipsi magistro Theuteus, et suis heredibus, heredumque suorum successoribus, eo Jure quo ad ipsos, ex premissae Regalis collacionis titulo pertinere dinoscitur, bona, et Regni ab antiquo approbata consuetudinaria lege reqnirente, Judicarie nostre potestatis auctoritate, sine preiudicio Juris alieni, patrocinio presencium litterarum nostrarum Privilegialium, adiudicauimus perpetuo possidere, tenere et habere perpetue taciturnitatis silencium, ipsi nobili domine sorori predicti Jacobi fily Gyula Juridice in ponentes ab eadem, Incuius rei memoriam firmitatemque perpetuam, presentes ipsi magistro Theuteus concessimus litteras nostras Privilegiales, pendentis Sigilli nostri autentici munimine robaratas, Datum In wyssegrad etc.¹⁾)

Parochiae Mohács adfiliata est possessio *Kölked*, ubi meri sunt confessionis helv. asseclae. Hujus pagi nomen habetur in diplomate S. Regis Stephani, quo condonationes monasterio Pécsváradensi anno 1015. factas enumerat, ubi loco 7-o occurrit *Kelkedy*, quod posterioribus annis *Kulkedy* scribitur.

Mohács autem et Csele leguntur in elenco tributi papalis, utpote: 1333. *Laurentius de Moaach solvit 1. fertonem*; — eodem anno: *Cosmas Sacerdos*

1) loc. cit. n. 105.

de Chele solvit 20. banales; Laurentius Sacerdos de Mohach solvit 30. banales: — 1334. Cosmas de Chele solvit 20. banales; iterate hoc anno: Laurentius de Mohach; Cosmas de Chele; — 1335. Cosmas de Cheley solvit 30. banales; Petrus de Mahacz solvit 15. banales.²⁾

Inter pagos anno 1559. ad episcopatum Quinqueecclesiensem spectantes occurrit *Mohács* cum 40. port. item *Keölked* cum 6. portis. — Porro inter loca anno 1561. ad arcem confluentia habetur: *Kewlked*. Eiusdem, (nempe episcopi.) Georgius Bwday Judex fatetur Colo: 19. Inqu. 1. Ad arcem nihil soluerunt. Dicam Regiam Anni 59. de portis 6. cum addicione 20. denar. soluerunt.³⁾

Visitatores diversorum temporum cum suis de hac paroecia connotationibus aviditatem nostram quidem lenire, non autem explere valent adeo, uti hoc in pluribus aliis locis fieri solet; quae igitur nobis obveniunt, hisce reddimus:

Anno 1721. spectabat ad *Mohács* ceu filialis *Nyárád* (puta *Nagy-Nyárád*) possessio Eugeniana, et *Kölked* episcopal. Ecclesia matrix in *Mohács* sub titulo *Exaltationis S. Crucis* anno 1718. per episcopum *Wilhelmum Franciscum Nesselrod* a primis fundamentis erecta, a foris et intus sufficienter dealbata, una cum sua sacristia in sanctuario per modum fornicis, dolatis arculario labore asseribus tabulata, in navi vero templi loco fornicis asseribus strata, continens in se pedes altarium tres ex tegula exusta constructos, in quorum primo majoris altaris exstat apposita imago, spectans ad capellam extra oppidum situa-

²⁾ Koller II. — ³⁾ Idem VI.

tam in honorem patronorum contra pestem exstructam; item unus major crucifixus honeste depictus, ac ceterae imagines chartaceae, per modum arae applicatae. Haec porro ecclesia continet in se cathedram ex ligno, arculario labore constructam, et viridi colore tinctam, in qua effigiatae sunt imagines quatuor Evangelistarum, ac in medio S. Francisci Seraphici, supra quam appensa habetur imago B. Virginis. Habet ecclesia ciborium argenteum satis magnum, per imperatricem Josephinam, una cum palliolo suo ecclesiae huic donatum.

Habetur quoque capella ad pontem oppidi erecta, divis patronis contra pestem, Fabiano, Sebastiano et Rocho, item Magnae Matris honori dicata. — Habetur etiam in eodem territorio Mohács, in deserto pro nunc loco *Cselin* vocitato diruta ecclesia, quae in aedificium anonae convertitur, ad cuius statim adjacentem pontem rex Ludovicus interisse dicitur. Porro in eodem documento notat visitator: Antiqua ecclesia Mohácsensis *S. Barbarae* dicata per commissarios suae Mattis destructa est, et lapides ejus in domum anonariam conversi, super cuius rudera exstant domus exaedificatae hominum confessio-
nis helveticae; et ut fama fert, residua rudera per Mohácsenses sunt eruta pro fundamentis domorum conversa. — Eodem anno dicuntur in Mohács esse animae confessionis capaces 350. Calvini 160. Graeci ritus in Mohács et Lancsuk 350.

Visitator non enunciat, quonam loco ecclesia supramemorata parochialis posita fuerit, supponit tamen in ipso oppido locum habuisse, probabilius ubi hodie ecclesia ad S. Michaelem exstat. Videtur autem eadem ecclesia non multa cura fuisse excitata,

et structurae ejus non multos per eppum Nesselrod impensos fuisse sumtus; nam post decennium jam labefactata exstitit; idcirco conscriptor anni 1733. haec refert: Ecclesia mater in oppido Mohács ex crudis tegulis erecta, fundamenta habens ex lapide, non ita pridem aedificata, et scandulis tecta, jam autem ob terrae humiditatem muri delitescere, ac propter insoliditatem aedificii in ruinam vergere coepit, ita et scandulae putrescere, adeoque totali renovatione indiget, ad quam erigendam sufficientes lateres extus defunctus episcopus (Nesselrod) exuri curavit, per oppidanos majori ex parte jam convectos. Dedicata est honori Exaltationis S. Crucis. Habet altaria tria, majus ex picta in tela imagine *S. Helena**) constans, lateralibus columnis et figuris efformatis et depictis decorata, ad quam formam etiam laterales aiae exstructae, sumtibus defuncti episcopi erectae sunt. *Pavimentum ecclesiae stratum non est.* — In praescripto oppido Mohács habetur domus parochialis in bono statu, commoditates pro parochi subsistentia et domesticorum condecorantes et sufficientes, per oppidanos erecta. Indiget erectione stabuli, et renovatione tecturae. Habet hortum adjacentem parochiae, sufficientem pro sua necessitate. Proventus parochi eodem anno in 214. fl. 85. den. conscripti habentur.

Episcopus Berényi anno 1738. isthic visitans scribit: Ecclesia parochialis in Mohács est *S. Helena* *Vidua* sacra, ex crudis lateribus structa, in tecto multum vitiata. Numerus confessionis capacium fuit 700. parvulorum 200. In moribus eorum exponit

*) Si *S. Helena* representabat icon arae, tunc ecclesia titulum potius inventionis, non autem exaltationis S. Crucis habuisse putatur.

parochus negligentiam in frequentandis divinis, execrationes et ebrietates, quae tamen pro demerito puniuntur. — Haec, et non plura notatu digna habentur in hac sterili visitatione.

Ecclesia parochialis, superius iterate commemorata, anno 1743. flammis absumta est, et ultra 23. annos in ruderibus jacuit. Interim Sigismundus Berényi episcopus penes residentiam aestivalem, quam episcopus Quinqueecclesiensis ab olim in oppido Mohács habuit, quamve praefatus praesul aliquatenus ex ruderibus excitari fecit, intendebat novam ecclesiam aedificare, idcirco die 11. Nov. 1742. dictus praelatus primum pro nova sub titulo *Exaltationis S. Crucis* erigenda aede sacra posuit lapidem cum maxima solennitate, post quam functionem ibidem sub dio celebravit missam solemnem de sancta Cruce. Siquidem vero ecclesia parochialis in oppido anno sequenti 1743. (ut supra dictum,) in cineres abiret, hujus ecclesiae episcopalnis aedificatio accelerata et eodem anno consummata est, quae per longam seriem annorum pro parochiali servire debuit, quamvis pro tunc extra oppidum penes viam regiam situm habuerit, ubi hodie platea germanica protenditur. Haec ecclesia est quidem elegantis structurae, nihilominus ad internum decorem ac elegantiam adhuc multum desideratur; in longitudine $16\frac{1}{2}$. in latitudine 5. orgias habet.

Anno 1757. 15. Maji episcopus Georgius Klimó ut visitator hic agens, de hac ecclesia episcopalni, pro tunc interim parochiali, haec notat: Haec tota ex solidis materialibus per piae reminiscentiae Praedecessorem nostrum aedificata, ad structurae suae praecellentiam nihil requirit, in eo tamen statu ob

supervenientes tam in fornice, quam hinc inde fissuras consistit, ut nisi his obviemus, durabilitatem spondere possit nemo. Ubi vero defectibus his manum admoverimus, eadem fidelia turrim, ad fabricae elegantiam proportionate aedificatam, hucdum imperfectam ad statum integrum deduci faciemus. — Ornatur altari unico sculptorio opere eleganter laborato, in medio pictam *Inventionis S. Crucis* imaginem continente. Hoc templum quoad supellectilem sufficienter et convenientissime fuit instructum. Adest capella (ait visitator) ad medium quadrantem in colliculo, ex crudis tegulis, tempore pestis in honorem *S. Rochi* aedificata, quae jam tota collabescit. Eo tempore fuit scholae rector et organedus *Andreas Klein*; numerus Catholicorum 2074.

Haec episcopalis ecclesia usque ad annum 1770. inclusive inserviebat pro parochiali, postmodum vero privatae praesulisi, dum isthic commoraretur, devotioni destinata, anno 1851. per episcopum Joannem Scitovszky in realem parochiale elevata est, uti inferius dicitur. Antiqua parochialis ecclesia in meditullio oppidi stetit, sed per alluvionem Danubii absuntis multis domibus, impraesentiarum prope ad ripam fluvii exstat. In locum combusti templi, beneficentia episcopi Klimó, accendentibus nummis et laboribus oppidanorum, novum anno 1766. strui coepit. Die 20. Dec. 1770. magistratus Mohácsensis scribit ad ordinariatum: ecclesiam parochiale esse paratam, rogatque ut ocyus benedicatur. Ne autem haec cum exteriori seu episcopali eundem habeat titulum, idcirco novae ecclesiae parochiali tardius pro patrone *S. Michael Archang.* datus est. Ista 1814. aliquantum reparata, anno autem 1828. ex integro re-

staurata est. — Domus parochialis post fatale incendium per magistratum occupata, pro domicilio judicis nobilium adaptatur, reaedificata autem ecclesia, parocho restituitur, mansit tamen desolata usque annum 1813. quo reparationem, 1828. restaurationem accepit, tandem per eppum Scitovszky anno 1849. ampliata et multis commoditatibus aucta exstitit.

Restat, ut de capellis intra ambitum hujus oppidi existentibus pauca faciamus verba. Exstabat in Mohács ab antiquo sacellum S. Rochi et Sebastiani, (uti superius attingitur,) tempore pestis ex voto erectum, distinete autem nescitur, num annus pestifer 1691. vel vero 1710. dederit ansam erectionis. Sacellum autem fuit exiguum, ex crudis materialibus excitatum, quod, licet saepius reparatum, non multam tamen vidit aetatem. Anno itaque 1762. loco antiqui sacelli nova capella in eodem loco ex solidis materialibus aedificatur, circa quam erat antiquum coemeterium, cuius tumuli hodieum conspiciuntur.

Altera capella est in monte calvariae honori *B. Mariae V. Dolorosae* dicata; quae, qualemnam ortum habuerit, sequentia edoceant: Georgius Makay, uberrimo zelo plenus parochus condam Mohácsensis, singulari pietate stimulatus amplum hortum, propriis expensis acquisitum, suis legavit successoribus parochis Mohácsensis, ea sub conditione: ut iidem annis singulis in festo Decollationis S. Joannis Bapt. 29. Aug, (velut anniversario cladis ad Mohács) solenne sacrum de Requiem celebrare teneantur pro animabus eorum, qui ibi pro religione et patria sanguinem fuderunt. Singularis haec Georgii Makay in religionem et patriam pietas, supernis virtutibus col-

lustrata, cor Josephi Király antistitis Quinqueecclesiensis permovit, ut anno 1816. suprafatam capellam in monte calvariae erigeret, et ut lugubrem erga patriae heroes memoriam renovaret, initio anni 1817. praeclara sua sensa cum magistratu oppidi Mohács communicavit: ut in neo-erecta montis calvariae capella singulis annis, recurrente die 29. August. sacra celebrentur numero duodecim; item tres instituantur sacri sermones, idiomate nempe hungarico, germanico et illyrico. In finem hunc praeclarus praesul 3000. flnor. capitale foenori dedit, sieve pia haec institutio ipso eodem anno 1817. jam initium sumsit. Recurrente die 29. August. maxima ibi fuit populi frequentia, et confluxus virorum ecclesiasticorum. Sacrum solemne sub infula celebravit *Antonius Juranics* vicarius generalis episcopalnis, assistentibus ei, qua diaconi, *Francisco Panczer Olaszensi*, et *Henrico Foith Lakensi* parochis; ad concionem primum idiomate germanico dixit *Paulus Aigl* parochus Himesházensis, tum illyrico *Franciscus Tomich* v. a. d. et parochus Valpoensis, demum Hungaris *Josephus Ujváry* professor juris ecclesiastici in seminario domestico. Ab illo autem tempore tali modo asservatur singulis annis usque in praesens Mohácsini funestae cladi memoria. Capellam autem dictam montis calvariae episcopus Georgius Girk pia liberalitate anno 1858. ampliari, renovari ac eleganter pingi curavit. Ab eo tempore in hac capella appensae habentur sat venustae imagines, ipsam cladem repraesentantes, quae olim hujatis residentiae episcopalnis conclavia ornarunt. Sub eadem capella habetur crypta, cuius novissimo tempore aditus obmurus exstitit.

In territorio Mohácsensi in promontorio existit

adhuc una venusta capella *Annunciationis B. M. V.*
anno 1834. benedicta.

Catalogus sacrorum curiorum:

I. P. Martinus Simoncsics, natus 1662. in *Croatia*; in ordine S. Franc. prov. S. Ladislai professus 1683. 11. Nov. *Remeticii*; factus 1686. sacerdos. Annis 1694. et 95. administravit parochiam *Mohácsini*,^{*)} isthinc discessit, post annum reversurus.

II. P. Chrysostomus Kovacsics, ortum 1672. *Sabariae* habuit; prof. 18. April. 1691. ordinatus 1696. presbyter. Hic loci eodem anno 1696. coepit curam animarum; postmodum ut definitor provinciae mortem oppetiit *Zagrabiae* 14. Febr. 1722. aetat. 50.

III. P. Martinus Simoncsics, qui supra; iterum biennio (1697.—1698.) cura pastorali in *Mohács* occupatus; qua definitor vita excessit *Csáktornya* 12. Maji 1726. aet. 64.

IV. P. Marcus Barics, vitam 1666. adiit *Caproncae*; prof. 1685. 25. April. *Crisii*; sacerdotium 1690. assumxit; anno 1699. curam fidelium in *Mohács* sustinuit. Obiit aequa *Csáktornya* 1704. 28. Febr. aet. 38.

V. P. Franciscus Purgarics, in *Novavilla* pone *Varasdinum* anno 1661. primam traxit auram; pro-

^{*)} Ex protocollo historiae convent. 5-Ecclesien. coactaneo. Hujus ordinis et provinciae fuerunt etiam sequentes religiosi, praeter ultimum.

fess. 15. sept. 1681. fit 1684. neomysta. Annis 1700.—1702. procuravit *Mohácsini* divina; qua concionator *Varasdini* 26. Dec. 1703. vitam posuit aet. 43.

VI. P. Raphael Schmatz, *Bavarus*, 1662. progenitus; prof. 4. Mart. 1685. characterem sacerdotalem 1687. assumxit; populum Mohácsensem annis 1803.—1706. pavit. Ad vitae metam *Varasdini* ceu definitior pervenit 5. Junii 1722. aet. 60.

VII. P. Demetrius Selley, in *Dabronak* insulae Muraköz loco 1673. inter mortales comparuit; prof. 1700. 2. Dec factus 1703. presbyter; suscepta 1707. cura in *Mohács*, isthic. 2. April. 1708. letum oppetiit aetat. 35.

VIII. P. Emericus Babos, *Sabariae* 1677. lucem terrenam aspergit; prof. 31. Octob. 1698. presbyterio 1701. auctus; in hac vinea Domini 5. annis (1708.—1712.) operabatur; pro concionatore hinc descendens occubuit *Siklósin* 1716. 5. Octob. aet. 39.

IX. P. Casparus Véghelyi, cui *Jaurinum* 1684. dedit natales; prof. 1704. 23. Dec. inter sacerdotes 1708. relatus. Hic fuit ultimus ex patribus Franciscanis, qui anno 1713. curam spiritualem impendebat Mohácsensis; post biennium humanis solutus *Remeticii* in Croatia die 21. Febr. 1715. aetat. 31.

X. P. Ladislaus Scheiman, ord. S. Pauli erem. ex conventu Quinqueecclesiensi 1714. post asservatam synodum ad *Mohács* missus, isthic fideles usque exitum anni 1719. imbuit; subin diuturnas febres

passus, rediit ad conventum, ad superiores mox partes dispositus.

XI. Franciscus Horvatovics, presbyter secularis, initio anni 1720. vel jam ultimisa nni praecedentis diebus parochiam *Mohács* obtinuit, ubi propter defectum domus parochialis consistere non valens, ad filialem Duna-Szekcső transtulit, annuente vicario generali, sedem, et illinc fideles quoque *Mohácsenses* providit. In visitatione hujus parochiae 1721. 31. Mart. assevata haec leguntur: „E salario suo a *Mohácsensibus* parochus vix aliquid percipit ex pecunia, frumento et vino. Querela adversus parochum nulla habetur, praeterquam quod insufficiens esset in concionibus suis ob ignorantiam linguarum, principaliter vero illyricae, qua ad praesens ne una vice concionatus fuisset, unde et plebs, praecipue gentis illyricae pendenda ei pendere recusat ex eo, quod nunquam verbum Dei de cathedra audiat.“ Porro prosequitur visitator: „Parochus requisitus: in quonam consisteret baptismus? reposuit: in aqua. Deinde ultra quaesitus: utrum et in aliis? per omnia haesitavit, in opinione sua persistens, et affirmans itidem, in aqua consistere, ac dein adjunxit: in aqua et Spiritu sancto. Videtur non multo post dioecesim nostram deseruisse, *Vaciensi* infusus, ubi 1728. in *Nöténcs*, anno autem 1734. in *Vácz-Kis-Hartyán* parochias tenuit. Novissima ejus ignorantur.

XII. Joannes Zlabúr, etiam Szlabtér, anno 1721. ad *Mohács* introductus sequenti anno matricas omnium primus scribere coepit. De hoc praecone nihil aliud compertum habemus, nisi quod mense De-

cembri 1729. infirmus decubuerit, crebrius per parochum Szekcsőensem visitatus et in functionibus adjutus; censetur idcirco eodem mense, vel initio Januarii 1730. isthic fatis concessisse.

XIII. Georgius Latincsich, die 15. Januar. 1730. ad Mohács appulit, et vergente anno 1733. ad parochiam *Kátoly* transiit. (vid. ibid.)

XIV. Joannes Meszárovich, philosophiam binis, et totidem annis theologiam *Tyrnaviae* quam alumnus nostrae dioecesis audiens, ordinatur 18. April. 1730. *Posonii* per Sigismundum Berényi eppum Mallensem, ad titulum dioecesis Quinqueecclesiensis, in presbyterum. Mox eodem anno initio Junii applicatur *Quinque-Ecclesiis* ut capellanus curatus, usque mensem Majum 1731. inibi operatus; expositus mititur ut cooperator, donec initio anni 1734. eidem parochia *Mohács* committeretur gubernanda. De hoc in instrumento visitationis anni 1738. notatur: „*Scientia ejus correspondet bibliothecae valde tenui, ita ut in obviis etiam rebus plane peregrinus sit. Post quatuor itaque septimanas Quinque-Ecclesiis pro examine se sistet. In servitio exponit populus: „quod in concionando sit negligens, et hungaricum sermonem de suggestu nunquam dicat.“* Praeterea plura alia inamoena contra eundem accumulata exstitere hac occasione. Die 10. Dec. 1744. instituitur contra praefatum parochum, penes mandatum compulsionarium vicariale, inquisitio, emissis ad Mohács Thoma Beankovich vice-archidiacono Himesházensi, et Nicolao Téglási parocho Szekcsőensi. Mense Aprili 1745. offertur parochia Mohács Thomae Beankovich,

subin Antonio Kecskeméti parocho Vásárosdombóensi, sed neuter horum acceptavit. Eodem tempore Joannes Meszárovich beneficio privatus, *Quinque-Ecclesias* commeare jubetur, ubi im hospitali locum obtinuit, ad frequentandum quotidie chorum compulsus. In una alterave postmodum capellania non usquequaque toleratus, rursus ad hospitale rediit, ubi 10. April. 1753. annos natus 49. fulmine apoplectico exstinguitur.

XV. Michael Franciscus Babócsi, ex cooperatura in *Szalánta* tenta, ponitur 9. Maji 1745. ad *Mohács* pro administratore, pro tunc admodum juvenis, anno aetat. 24. nondum completo. Alacritate sua et affabilitate animos Mohácsensium sibi demulxit; ast cum quadam vice minus cautus ac providus in loco interdicto, nempe ecclesia combusta sacra faceret, mense Aprili 1746. suspensione feritur, in tali vero statu munia parochialia exsecutus, irregularitatem incurrit pro summo oppidanorum moerore, ad quorum instantes preces a censura aegre potuit solvi, disposito intermedio tempore huc alio curione, Babócsi ad providendam parochiam *Bikal* missus, ibi post anni decursum vivis eripitur.

XVI. Petrus Bakotich,*) post administratas in *Szék*, *Duna-Szekcső* et *Nádasd* paroecias, initio anni 1747. gregi fidelium in *Mohács* praefit, cuius curam ultra annos 11. omni cum gravitate et zelo gessit.

*) Vid. par. Szekcső II. 538. — De hoc parocho false apponitur in necrologio schematismi 1842. „e traditione: noctu ab infirmo rediens trucidatur 20. Apr. ibid.“ Refutant hoc assertum superius authenticè explanata.

Diuturniori morbo maceratus accepit 8. Sept. 1757. coadjutorem sive vicarium, qui fuit Joannes Békey, sed ipse etiam, donec licuit, functiones perfecit parochiales; aucto interim corporis malo in media virili aetate, annos complens 40. mundo valedixit 27. Junii 1758. Fuit vir spectatae scientiae et cognitionis, honestae conversationis, multae comitatis, ad altiores eapropter destinatus honores; ast dum exspectationem de se fotam praeclare tueretur: *in putres formas desiit ecce Petrus.*

XVII. Stephanus Dienes, ex parochia Ozora mense Julio 1758. ad *Mohács* translocatus, isthic 9. annis sedule operabatur; sub cuius cura capella S. Rochi novitus excitatur, item templi parochialis aedificatio ipso urgente inchoata fuit. Mutato consilio, anno 1767. ordinem S. Pauli ingressurus dimitti petiit, consistorium vero die 22. Maji eum in hoc negotio ad episcopum inviat; quo annuente die 14. Junii e. a. hanc stationem et simul dioecesim desegruit. Per sequens triennium in nostra dioecesi nusquam comparet, et commorationis ejus locus nos latet; anno autem 1770. reversus, administrationem parochiae *Mindszent* suscepit.

XVIII. Georgius Makay, *Quinque-Ecclesiis* die 6. April. 1735. a parentibus Stephano et Elisabetha cunas accepit, ubi gymnasialibus imbuitur, philosophiam Budae audivit, pro condiscenda theologia vero lares paternos repetiit, et 20. Maji 1758. mysta ad aram stetit. Exantlatis in cura animarum ut cancellanus 9. annorum operis, mense Junio 1767. datur oviculis in *Mohács* pastor semper egregius. Elicito

die 17. Mart. 1773. juramento investitur, die 24. Aprilis, ceu onomasi praesulis et propria per Georgium Nunkovics canonicum, praesente episcopo Georgio Klimó, in nova ecclesia parochiali, tunc ad *S. Crucem inventam*, nunc S. Michaelis, installatus est. Circa annum 1783. habuit parochus Mohácsensis jus, in nundinis ibidem mense Novembri asservari solitis, 12. urnas vini educilandi, auctoritate etiam regia firmatum. Sacerdos hic pius et prudens, pastor zelosissimus, concionator exactissimus, qua substitutus quoque vice-archidiaconus districtus Mohácsensis eminuit. Inter ejus legata memoratu dignum est capitale penes civitatem Quinqueecclesiensem depositum, cuius interusurium studiosi in scientiis et moribus excellentes percipiunt; et insuper vinea validissima Quinque-Ecclesiis habita, quam parocho in suburbio ad S. Augustinum instituendo, pro meliori subsistentia transscripsit. Dum annos 49. cum 8. mensibus completeret, 1784. 5. Dec. abiit ad tumulum, quem *Mohácsini* in ecclesia parochiali accepit.

Post ejus obitum ut administrator isthic operabatur *Ignatius Blasius Bésán* usque exitum anni 1785. translatus anno sequenti ceu parochus ad *Hosszu-Hetény*.

XIX. Joannes Nep. Carolus Beniczky de Eadem
et in *Micsine*, a praenobilibus progenitoribus Carolo Beniczky et Elisabetha Giovanelli die 9. April. 1846. in comitatu *Scepusiensi* ortum traxit; humanioribus et philosophicis studiis Neosolii, Agriae ac *Paviae* operam navavit, propositus a cardinale Migazzi ad collegium germanico-hungaricum, die 24. Januar. 1767. *Romam* venit, destinatus ad primum annum

theologiae. Studium ingenio non respondit, somno et pigritiae deditus, domesticae disciplinae contemtor fuit. Orationem in festo S. Apollinaris habuit; doctor creatus in collegio; sacerdotio jam auctus discessit ex Urbe 3. Maji 1770.^{a)} — Ad dioecesim suam, nempe *Vaciensem* reversus, ibi parochiam in *Ecsegh* obtinuit, evocatus paulopost *Vacuum* pro cathedra theologiae. Paulus Ladislaus Eszterházy anno 1781. ad infulas Quinqueecclesienses eluctatus clientelae sua mandatam Beniczkyum nostrae insevit dioecesi, ubi mox eodem anno, die 11. Sept. canonicus honorarius, et 3. Junii 1782. assessor consistorialis renuntiatur, admotus 1783. cathedralae hist. et juris ecclesiastici. Soluto in seminario studio theologicō, cleroque ad centrale Posoniense seminarium translato, Beniczky per anni circulum *Agriae* in academia professoris vices obiit,^{b)} quamvis jam die 6. Dec. 1784. ut parochus *Mohácsensis* juramentum deposuerit, administrata fuit interim parochia per Ignatium Bésán. Vicearchidiaconali provincia 3. Dec. 1787. cumulatus, die 19. Aug. 1790. in stallum realis canonici Quinque-Ecclesiis introducitur, titulo *proto notarii apostolici* decoratus, et anno 1797. canonicus poenitentiarius nominatur; tandem 17. Januar. 1810. ad lectoris stallum invectus, electus episcopus *Scardonensis* nuncupatur.

a) *Protocoll. colleg. Romani.*

b) Eodem tempore plures sacerdotes dioec. nostrae, quasi extortores, alibi muneri docendi applicati erant, Beniczky Agriae; Matthias Zsivics Zagrabiae; Adamus Vizer Tyrnaviae, tum Posonii; Wolfgangus Tóth, et duo fratres Mitterpacher, nempe Josephus et Ludovicus Pestini. — In aula vero eppalí tres extiterant canonici honorarii, utpote Stephanus Szalágyi bibliothecarius; Johannes Marevich caeremoniarius, uterque ex-professor; et Josephus Erdődy canonicus hon. a latere.

Dum die 25. Sept. 1817. praesulem Josephum Király aggredetur cum nuncio „palatino gemellos esse natos“; prolatis autem vix aliquot verbis, in conclavi episcopi repertino apoplexiae ictu prostratus, e sella exanimis corruit, annum agens 72-um, sepultus jacet in sacello S. Emerici ecclesiae cathedralis.

XX. Michael Taucher, ex parochiis *Bodony* et *Bóddy* (II. 83. et 301.) sufficienter notus. Die 23. Sept. 1790. qua parochus *Mohácsensis* et districtualis v. a. d. ordinarius juramentum depositus. Pro officio bibliothecarii Quinque-Ecclesiis die 13. Febr. 1803. recursum exaravit ad officium vicariale, 27. April. e. a. petit facultatem proficisciendi ad acidulas Füred, die 28. Julii pro dimissorialibus literis instat, paulo post ordinem S. Benedicti ingressus, religioso nomine *Augustinus* vocatur.^{c)} Qua abbas SS. Mauritii et Soc. de *Bakonybél* (uti jam relatum,) anno 1824. more solito curae ergo in acidulis *Füred* commoratus, aucto malo ad abbatiam *Tihany* expeditur, ubi supremam mortis sententiam exceptit, 26. Junii, et tumulum in crypta accepit, anno aet. 75. — Post ejus discessum parochia Mohács fere per biennium interimalibus ad ministratoribus fuit commissa.

XXI. Franciscus Neuwirth, perprius in *Lak*, anno 1805. ad *Mohács* traductus pastor, die 6. Junii fidem vovit. Tento hoc beneficio per 9. annos, de vitae statione deletus est in *Mohács* 26. Aug. 1814. aet.

c) Tempus discessionis ejus a nobis, et profectionis ad Benedictinos, habetur isthic ex authenticis scriptis nostri archivi; hinc ea quae de ingresso ordine in parochia Bóddy (II. 301.) ex fontibus benedictinis apposita leguntur, stare nequeunt.

54. sepultus in ecclesia parochiali. Testamento suo ordinavit: pontificanti in sepultura et missa „Requiem“ 20. fl. — sub eodem sacro cantato duo lecta absolvantur, unum pro patre Georgio, alterum pro matre Francisca, = 2. fl. — ludimagistro pro functione 6. fl. campanatori 4. fl. portatoribus corpus 24. fl. — cassae deficientium 100. fl. — capellae montis calvariae in Mohács pro interna instructione 100. fl. — pauperibus Mohácsensibus 100. fl. Lakensibus 50. fl. Geresdensibus 40. fl. Fazekas-Bodaensibus 30. fl. — Disposuit insuper: ut in coemeterio sepeliatur, historia vero domestica conventus Mohácsensis docet: in ecclesia sepultum fuisse.

XXII. Emericus Radicsevics, parochus in *Eger-ágh*, fuit denominatus parochus *Mohácsensis*, et qualis 1. Octobr. 1814. juramentum elicuit; quid autem intervenerit, in patulo non est, certum tamen tenemus: inter octiduum alterum pro Mohács fuisse destinatum, et 9. Octob. e. a. adjuratum, qui fuit

XXIII. Andreas Sárics, ex parochia *Jováncza* isthic introductus, perlata huc secum vice-archidiaconali dignitate, postquam jam anno 1812. 25. Febr. canonicus domicellaris installatus fuisset. Fuit vir procerae statura, ast macilentus; curio semper laudissimus. Iteratis hemiplexiae ictibus quassatus, in pervigilio onomaseos suae 29. Nov. 1835. aetatis suae anno 87. presbyterii 64. vivendi curriculum a natura concessum confecit; sepulturae locum ei praebente crypta cepellae montis calvariae.

XXIV. Joannes Zdralics, germanus provinciae

Bácsensis, in *Csávoly* 1787. 4. Sept. parentibus Michaele Zdralics et Juliana Jerkovics progenitus, sacerdotibus 8. Aug. 1813. aggregatus; exactis 8. annis ut capellanus in *Mosgó*, *Baán*, *Szajk* et ad *Purificatam*, item 14. ceu praebendatus cathedralis ecclesiae, anno 1835. versus finem vergente parochiam *Mohács* assequitur, jam tunc assessor consistorialis; postmodum obtinuit titulum praepositi *S. Pauli de Her-Pállyi*. Longo morbo exagitatus lecto affixus, curam parochiae vicariis committere debuit, donec 23. Dec. 1848. vinculis mortalitatis solveretur, anno aet. 62. sepultus in coemeterio.

XXV. Andreas Schirgl, in oppido montano *Szomolnok* comit. Scepusien. 30. Nov. 1812. hominem induit, cui parentes erant Joannes Schirgl et Elisabetha Turek; gymnasialibus partim Rosnaviae, partim Ungvárini studuit, adlectus 1829. extra examen concursuale clero juniori Rosnaviensi, philosophica pensa ibidem in seminario tractavit, pro cursu theologico *Viennam* ad collegium Pazmanianum dirigitur, ubi 1834. examen rigorosum ex linguis orientalibus et studio biblico superavit. Cum dispensatione pontifícia 12. Julii 1835. per Joannem Scitovszky p. t. eppum Rosnaviensem *Posonii* sub comitiis in ecclesia sanctimonialium de nostra Domina presbyter ordinatus, oblatis in eadem ecclesia primitiis, penes praesulem suum inibi ut caeremoniarius fungebatur. Anno 1836. *Rosnaviam* redux, in aula eppali actuarius et protocollista ordinatus, licet anno 1839. ad vacantem cathedram physices resolutus fuisse praeligit tamen cum praelato benefactore suo, reicta matre primaria, diocesi quippe Rosnaviensi, ad

Quinqueecclesiensem transire, ubi munus caeremoniarii gessit, 1841. 31. Januar. professor studii biblii creatus, 1842. cum fine Novembris prosenior, 1843. 23. Januar. defensor vinculi matrimonialis, 1846. in Julio senior facultatis, bibliothecae praefectus, consistorialis assessor, et cassae subsidiariae emeritorum sacerdotum administrator constituitur. Obtentam kalendis Januarii 1849. paroeciam in Mohács nequidem integro anno gubernavit, nam mense Octobri 1849. ad stallum canonicale metropolitani capituli *Strigoniensis* promotus, die 7. Januar. 1850. introducitur; postmodum ibidem suae Sanctitatis summi Pontificis praelatus domesticus, nec non praepositus titularis *De Rév prope Budam* renunciatur. Qua lector capituli ipso festo Nativitatis Domini 1872. hora media ad 8-am vesp. usuram lucis terrenae amisit, qui vixit annos 60. cum 25. diebus; cineres ejus in mausoleo metropolitanae ecclesiae reconditi sunt.

XXVI. Gabriel Gráger, postquam annis 13. parochiam cum omni occurrence ac gravitate rexisset in *Duna-Szekcső*, primo anni 1850. diluculo donatur beneficio *Mohácsensi*, decoratus eodem anno titulo praepositi *S. Eustachii de Csúth*, 1853. assessor sacrae sedis, nec non surrogatus, anno autem 1861. ordinarius v. a. d. districtus cognominis declaratur, antehac jam cruce argentea pro piis meritis decoratus. Primo triduo mensis Septembris 1863. interfuit synodo dioecesanae Quinque-Ecclesiis asservatae, qua feliciter terminata, die 3. e. m. in lauto et laeto prandio episcopali, dum verba libaminis ad praesulem suum facturus, de sella se levaret, eodem momento pronus mensae

incumbens, pro summa omnium praesentium conster-
natione, repentina apoplexia correptus, exanimis cor-
ruit. Loco stalli canonicalis, quod eodem tempore
conscendere nitebatur et speravit, descendit in fos-
sam in coemeterio Quinqueecclesiensi.

XXVII. Antonius Kóbor, antea parochus in
Lak, tum in *Tevel*; obtento anno 1863. titulo pree-
positi *de Thoub*, assequitur eodem anno paroeciam
Mohács, ubi anno 1875. sacerdotii sui jubilaeum
celebravit, et anno sequenti resignata parochia
Quinque-Ecclesias habitatum discessit.

XXVIII. Alexander Rónay, ex spirituali cleri
junioris 1876. parochus et v. a. d. in *Mohács* nomi-
natur. (v. Rec. I. 53.)

Cooperator anno 1878.

Adalbertus Bundalla, qui habetur II. 86.

Cooperatores Mohácsenses defuncti:

I. Antonius Bálovics, filius *Quinqueecclesiensis*,
presbyter 1772. sabbato sancto 18. April. ordina-
tur, qua cooperator Mohácsensis phthysi laborans, ex
visione nocturna in oppido Szigetvár habita conter-
ritus, praepropera extinguitur morte *Quinque-Eccle-
siis* die 9. Julii, anno aet. 25.

2. Wilhelmus Franciscus Eduardus Illéssy,
ex nobilibus parentibus Ignatio Illéssy et Aloysia
Gévay 18. Mart. 1801. *Quinque-Ecclesiis* ortum tra-
xit, imbutus *Pestini* in centrali seminario sacratiori
scientia, doctor ibidem theologiae creatur, sacerdotio

1824. die 24. Mart. cumulatus, disporitur ad *Mohács* cooperator, qua talis in domo parentum *Quinque-Ecclesiis* celeri abripitur libitina aetat. 25. sepulturam in crypta ad Purificatam nactus.

3. Antonius Balázsevics, *Maria-Teresiopolis* 5. Junii 1847. hominem induit, ordinatus 1. Aug. 1870. cooperator in *Miholjac*, *Szajk* ac novissime in *Mohács*. Longiori hecticae morbo pressus *Essekinum* deportari desiderans, ibidem in celebri nosocomio recenter erecto animam efflavit 22. Maji 1878. annor. 31. fere completorum; sepultus in coemeterio ejusdem hospitalis.

Extraneus sacerdos Mohácsini mortuus:

P. Joannes Varga, Soc. Jesu presbyter, collegii *Colocensis* membrum, ortus in Sz. *Erzsébet* eppali pago cottus Baranya. Pulmonum affectionibus dum laborans, die 17. Sept. 1877. ex collegio ad cognatos suos proficisci anhelans, medio navis *Mohácsinum* pertigit, viribus jam tunc pene exhaustus ad domum parochialeм devehitur, ubi 18. Sept. hora 9. vesp. obdormivit in Domino, sepultus in coemeterio.